Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26088
Copyright: Admont, Benediktinerstift

eorum discrepant prolata responsa. sic repugnantia dictorum
facta nudantur ut uigore mentis increpato populo testibus
confusis ueritas ostenderetur. Gaudet populus de pudoris integri
tate. triumphat maritus quod fidam inuenerit coniugem. letatur
familia quod nichil inuenerit in ea quod puniat. quod adulterii
factum non inuenerit. nec homicidium diabolus quod procurabat
impleuerit. Item sermo sancti Augustini episcopi.

Euangelica lectio quae modo sonuit in
auribus uestris fratres auditorem magis atque fac
torem quam expositorem desiderat. Quid hac
luce clarius. Si uis uenire ad uitam serua
mandatum. Quis est qui nolit uitam. et tamen qui (1)
uelit seruare mandatum. Si mandata
seruare non uis. quare uitam quaeris. Si ad opus piger es. quare
ad mercedem festinas. Dixit se ille diues adolescens ser
uasse mandatum. audiuimus precepta minora. Si uis perfectus
esse unum tibi deest. uade uende omnia quae habes et da pauperibus.
neque perdis sed habebis thesaurum in celo. et ueni sequere me.
Non quid tibi prodest si feceris et non sequeris me. Et abscessit tam (2)
mestus sicut audistis. habebat enim multas diuitias. Quod
audiuit ille. audiuimus et nos. Os Christi euangelium est. In
celo sedet. sed in terra loqui non cessat. Non simus surdi. nam
ille clamat. Non simus mortui. nam ille tonat. Si ma
iora non uis facere. minora fac. Honor maiorum ad te
multum est. uitam prende. Quid ad utrumque piger es. Quid
utrisque aduersaris. Maiora sunt: uende omnia quae habes et
da pauperibus et sequere me. Minora sunt: non homicidium facias.
non adulteres. non falsum testimonium dicas. non fureris: ho
nora patrem et matrem.